ARCHIVES DEPARTEMENTALES PREFECTURE ISERE

Sanctissimo in Christo patri domino suo domino Clementi sexto apostolice sedis ac universalis ecclesie summo pontifici.
Ludovicus quartus dei gratia Romanorum Imperator semper augustus cum filiali subiectione devota pedum oscula
beatorum. Cupientes vestre sanctitati et apostolice sedi toto corde et animo zelum nostre reverentie fidei et devotionis
semper offerre et continuatis viribus pro nostra reconciliatione vestram clementiam implorare Illustri Humberto
Delphino duci Viennensi consanguineo et fideli nostro et imperii predilecto damus presentibus litteris auctoritatem et
mandatum speciale ad tractandum cum sanctitatis vestre clementia vice et nomine nostro et pro nobis causam nostre
reconciliationis et vias et modos investigandi per quas et quos sanctitati vestre uniri et reconciliari possimus et
sanctitatis vestre ac sedis apostolice gratiam obtinere. Promittentes quod in negotio premisso nostre reconciliationis salvo
honore et iure nostro et imperii consilia et directiones ipsius sequi volumus et pro viribus adimplere. In cuius
rei evidentiam presentes sanctitati vestre sigillo nostro imperiali pendente transmittimus consignatas. Datum in oppido
nostro Rotenburg xvii die mensis Maii Anno domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimotertio
Regni nostri anno vicesimonono Imperii vero sextodecimo.